

vel *AVGVSTORVM*, multos antiquos nummos Romanos, ab *Ezechiele Spanhemio* (14), *Carolo Patino* (15), *Guilielmo du Choul* (16), recensitos, exornat. Non est quidem cusus nummus, in quo legatur: *LIBERALITAS SCHABELII*; viget illa tamen in tot monumentis literariis, vt aequae feliciter fuerit memoria ipsius retenta, ac si nummo ea esset insculpta. In societatem huius laudis venit *LVBICA* nostra, ad cuius memorabilia multa pertinet hoc Stipendium, ob quod ea saepius fuit concelebrata. Inspicite, Auditores, memorias Theologorum: perlustrate multas Dedicaciones, libris, disputationibus, scriptis aliis, praefixas, imo Commentationes ac Libros passim ipsos, & honorificam reperietis summorum, quos Lubeca habuit, virorum, *GLOXINIORVM* (17), *GERCKENIORVM* (18), ac plurium, qui Stipendium hoc perinsigniter administrarunt, factam mentionem: inuenietis Lubecam munificentiae ergo collaudatam. Quod dum refero, non possum non meminisse *HIERONYMI SCHABELII*, Syndici quondam Lubecensis excellentissimi meritisfimeque, nostri *SCHABELII* fratris germani, quo suadente, Lubeca sine dubio electa fuit Stipendii custos, quae hac etiam ratione facta

B

est

-
- (14) Diff. IX. de Vsu & Praestant. Numism. p. m. 818 sqq.
 (15) Impp. Roman. Numismat. p. 216. 346.
 (16) Veter. Romanor. Relig. p. m. 127 sq.
 (17) IO. ANDR. SCHMIDIUS in Commentar. de Vit. & Script. CASP. SAGITTARII p. 17 sq: *Habuit in splendido Procerum Lubecensium consessu Orationem in laudem inlytae urbis Lubecae, nempe de Origine, Incrementis & varia Fortuna Lubecae, quae magno cum plausu excepta fuit ab omnibus. — — — Erat tum inter Proceres Lubecenses, qui Sagittarium dicentem audiebant, GLOXINIUS, magnus iuvenum eruditorum fautor, & Stipendii Schabbeliani patronus, Reip. Lubecensis primus Syndicus. & rel.*
 (18) Sic, praeter multos alios, e. c. IOANNES EHRENFRIED PFEIFFERVS *Memoriam AVGVSTI PFEIFFERI, Patris, dedicavit SEBASTIANO GERCKEN, Curatori magnif. Benefic. Schabbeliani dexterrimo, Huius Filio, GEORGIO HENRICO GERCKEN, plura dedicata sunt Scripta, quam hic recensere licet.*